

**R.P. URBANI NAVARRETE
TRIGINTA ET DUO ANNI MAGISTERII
APUD PONTIFICIAM
UNIVERSITATEM GREGORIANAM
FELICITER COMMEMORANTUR**

SUMMARIUM: I. Curriculum vitae. Praecipua magisterii capita: 1. Consensus naturaliter sufficiens, sed iuridice inefficax. 2. Natura pactitia consensus matrimonialis. 5. Inseparabilitas contractum inter et sacramentum in matrimonio christiano. 6. Consummatio matrimonii. 7. Matrimonia mixta. 8. Amor coniugalis. 9. Communio vitae. 10. De peculiaribus nullitatis capitibus. 11. In Curia Romana Consultor, aliaeque eius extra Facultatem activitates. II. Bibliografia P. Navarrete. III. Dissertationes ad Doctoratum sub directione P. Navarrete elaboratae.

**I CURRICULUM ET PRAECIPUA MAGISTERII
CAPITA**

Natus die 25.5.1920 in vico Camarena (Teruel) in Hispania, ingressus est in Societatem die 20.6.1937 in Bollengo (Ivrea) in Italia. Absoluto noviciatu, per quattuor annos (1939-1943) studiis humanisticis incubuit in Veruela (Zaragoza). Dein studia philosophica in Facultate Sarrianensi (Barcinone) obtento gradu Licentiae absolvit (1943-1946). Tunc iterum Veruelam rediit ubi per triennium humaniores litteras Iuniores S.I. docuit. Studia theologica perfecit in Facultate Oniensi (Burgos), ubi Licentiam in Theologia obtinuit anno 1953. Exacto anno tertiae probationis in Gandia, Romam missus est ad studia in Facultate iuris canonici Universitatis Gregoriana ut futurum professorem destinaverunt. Incepit docere anno 1958-1959

tractatum De Sacramentis (praeter sacramentum Ordinis), quae disciplina, praesertim sacramentum matrimonii, constituit obiectum suae specializationis.

Fuit Decanus Facultatis ab anno 1974 ad annum 1980, quo Rector Universitatis renunciatus est. Absoluto sexennio rectoratus iterum anno 1986 Decanus Facultatis nominatus est, atque ad secundum triennium est confirmatus anno 1989.

Indolis intellectualis P. Navarrete revelatur iam in sua dissertatione ad Lauream, edita in *Analecta Gregoriana* anno 1959 (B. 2)¹: capacitas analysis et synthesis, peculiaris attentio ad evolutionem historicam quaestionum, obiectivitas et aequilibrium in aestimando, rigor in argumentando, claritas in exponendo.

P. Navarrete successit P. Cappello in cathedra De Sacramentis. Primis quattuor annis docuit tantum Sacramenta initiationis et reconciliationis, inde vero ab anno 1963 etiam et sacramentum matrimonii. Hinc est cur annis 1959-1962 plures articulos scripserit circa quaestiones de sacramentis initiationis et reconciliationis (B. 3, 5, 7, 10, 11), inter quos notari merentur ille de ministris extraordinariis confirmationis (B. 5) ac ille de iurisdictione in Synodo Romana (B. 10), in quibus Auctor quam maxime urget necessitatem recognoscendi disciplinam tum quoad ministrum Confirmationis, tum quoad concessionem facultatis audiendi confessiones, id quod Codex 1983 penitus in effectum duxit.

Ab anno 1963, quo P. Navarrete primum articulum scripsit circa matrimonium, fere tota eius activitas scriptoris dirigitur ad quaestiones theologico-

¹ B remittit ad bibliographiam seu scripta P. Navarrete elenchata in § II.

canonicas vel canonicas sacramentum matrimonii respicientes. Ac iure potest dici nullum fuisse problema agitatum in hoc lustro rapidae evolutionis in quo P. Navarrete aliquid non contulerit ad problema circumscribendum, illustrandum, novis acquisitionibus evolvendum.

Nihilominus per totum tempus magisterii sui P. Navarrete proposuit alumnis argumenta pro dissertatione, respicientia diversos aspectus sacramentorum sive omnium in genere (D. 9, 14)², sive initiationis (D. 4, 26, 60, 66) aut reconciliationis (D. 2, 5, 6, 8, 12, 29, 43, 45, 74) in concreto.

1. *Consensus naturaliter sufficiens, sed iuridice inefficax*

Anno 1960 P. Bertrams publici iuris fecit in *Miscellanea in honorem Card. Gasparri* quoddam rescriptum S. Offici, quo concedebatur facultas sanandi matrimonium nullum ob defectum formae, postquam viro supervenerat impotentia coeundi perpetua. Hac occasione plura hinc inde scripta sunt circa efficaciam consensus naturaliter sufficientis sed iuridice inefficacis, praesertim relate ad convalidationem matrimonii. P. Navarrete in hoc contextu articulum scripsit anno 1963 demonstrans Ecclesiam sanare in radice matrimonia invalida ob impedimentum iuris divini postquam impedimentum cessaverit (B. 15), quo ostendebatur affirmationem can. 1139 § 2 «Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, *Ecclesia non sanat in radice*», iam praxi ipsa Ecclesiae superatam esse. Ideoque canonem corrigendum esse

² D. remittit at dissertationes elenchatas in § III.

eo sensu ut affirmet hoc matrimonium posse sanari in radice, id quod Codex 1983 expressis verbis affirmat (c. 1163, § 2). Momentum huius quaestionis, quod attinet ad consensum, in eo stat quod, superatis dubiis quae adhuc tempore codificationis 1917 supererant, supponitur uti doctrina certa verum consensum seu consensum naturaliter sufficientem posse existere etsi idem dirigatur in personam iure divino inhabilem ad matrimonium.

Quod attinet vero ad causalitatem consensus naturaliter sufficientis sed iuridice inefficacis P. Bertrams plures articulos tunc temporis scripsit in quibus, applicando matrimonio invalido suam theoriam de structura interna et externa actus iuridici, aliquam veram causalitatem iuridicam attribuebat consensui naturaliter sufficienti sed iuridice inefficaci. P. Navarrete ut quaestionem totam undequaque examinaret scripsit volumen de convalidatione matrimonii ad usum alumnorum, quod pluries fotografice reproductum est (B. 18). Auctor analysim amplam et acutam, attenta etiam evolutione historica, facit de natura et causalitate consensus perseverantis atque de complexo instituto convalidationis matrimonii, indigittans etiam ea, quae in Codice 1917 minus exacte dicebantur atque suggerens innovationes quae in Novum Codicem inducere oporteret, praesertim quod attinet simplificationem instituti sanationis in radice.

Hoc difficile argumentum curavit P. Navarrete ut semel et iterum dissertationibus illustraretur (D. 3,17,23,30,71), quarum tertia (D. 23) in *Analecta Gregoriana* publici iuris facta est.

2. *Privilegium fidei*

Uti notum est, post promulgatum Codicem 1917 Sancta Sedes maiore in dies amplitudine concedebat

dissolutionem vinculi matrimonii non rati in favorem fidei, in casibus qui non comprehendebantur neque in privilegio paulino neque in constitutionibus saec. 16 collectis in can. 1125 (1917). Tunc coepit adhiberi terminus «privilegium petrinum» ad designandam potestatem Ecclesiae, vel totam vel partem iuxta diversas sententias, ad haec matrimonia solvenda.

P. Navarrete in hac provincia adeo delicata iam anno 1964 firmam positionem accepit contra usum termini «privilegium petrinum», utpote prorsus inepti ad quamlibet potestatem Ecclesiae vel Romani Pontificis designandam. Ostendit praeterea omnes casus dissolutionis matrimonii non rati in favorem fidei cadere sub una eademque Ecclesiae potestate quae inde a S. Paulo diversis modis ac diversa amplitudine decursu saeculorum exercita est et exercetur (B. 17). Immo ulterius procedendo in sua reflexione circa hanc materiam P. Navarrete defendit hanc potestatem, quam Christus concessit Ecclesiae quamque «vicariam» vel «ministerialem» vocant, non esse concipiendam uti «extraordinariam», «divinam», «speciali privilegio concessam», sicut saepius repetitur, sed simpliciter uti unam ex illis potestatibus, quas diversa quidem ratione specificamus quaeque tamen omnes comprehenduntur in illa una «potestate sacra», qua Christus ditavit Ecclesiam ad suam missionem salvificam decursu saeculorum actuandam (B. 37,45). Haec synthesis doctrinalis confirmatur duobus ulterioribus studiis indolis praevalenter historicae, aliud circa tres constitutiones saec. 16 in can. 1125 (1917) collectas (B. 57), aliud quod totam historiam quaestionis comprehendit (B. 63).

In hac delicata materia direxit dissertationem circa potestates Ecclesiae earumque ordinem syste-

maticum (D. 39), quae in *Analecta Gregoriana* recepta fuit.

3. *Indissolubitas matrimonii rati et consummati*

In intimo nexu cum quaestione de potestate Ecclesiae ad solvenda matrimonia non rata etsi consummata, est quaestio iam tempore praeparationis Concilii Vat. II suscitata utrum Ecclesia potestatem habeat ad solvenda etiam matrimonia rata et consummata. Quaestio aliquo modo tacta est etiam in Aula conciliari atque occasione interventus Exc.mi Zoghby attentionem opinionis publicae quam maxime excitavit.

Illis annis scripta in favorem potestatis Ecclesiae dissolvendi etiam matrimonia rata et consummata multiplicabantur, saepius eadem iterum iterumque repetendo. P. Navarrete peculiarem attentionem huic gravissimae quaestioni praestitit. Imprimis a. 1969 omnia quae inde ab initio discussionis scripta erant in favorem dissolubilitatis matrimonii rati et consummati collegit eaque accuratae analysi subiecit, simul indigitans ad modum «observationum» ea quae in eis vel prorsus praetermittebantur vel saltem non satis aequo lance aestimabantur (B. 31).

Principium indissolubilitatis, uti patet, supponit conceptus univocos «matrimonii», «rati», «consummati». In discussione non defuerunt qui, principium indissolubilitatis retinentes, negabant vel in dubium vocabant vel in alio sensu intelligebant alium aliumve ex his tribus conceptibus, quibus principium indissolubilitatis constituitur. P. Navarrete peculiari claritate conatus est definire hos conceptus atque relationem inter ipsos conferre, ut principium indissolubilitatis modo univoco intellegatur et sustineatur (B. 43).

Gravitas et momentum hodiernum indissolubilitatis matrimonii rati fuit cur P. Navarrete suggereret circa illam quattuor dissertationes (D. 22, 33, 35, 38), quarum duae (D. 33, 35), honorem publicationis in *Analecta Gregoriana* obtinuerunt.

4. *Natura pactitia consensus matrimonialis*

Inter insidias contra principium indissolubilitatis matrimonii cristiani consummati nulla alia fortasse est adeo subtilis quam illa iuxta quam consensus matrimonialis non est concipiendus uti actus voluntatis indolis pactitiae qui uno momento creat relationem mariti-uxoris, quae relatio semel creata non amplius ab arbitrio humano pendet; sed potius est concipiendus uti consensus continuus, vi cuius matrimonium etiam in sua realitate iuridica et theologica continuo conservatur vel potius recreatur. Agitur de conamine applicandi ad matrimonium canonicum interpretationem quam moderni romanistae, inde a C. Mamenti, dare solent consensui matrimoniali, prout in fontibus romanis invenitur, substituendo tamen illam «affectionem maritalem» iuris romani amore coniugali, sensu praevalenter erotico intellecto. Plura scripta P. Navarrete reflectunt insistentiam efferendi naturam pactitiam consensus matrimonialis, uti unum ex principiis fundamentalibus doctrinae catholicae de matrimonio. Dixeris haud absque fundamento insistentiam in illustranda hac indole pactitia consensus constituisse unam ex notis magis peculiaribus magisterii P. Navarrete. Etenim praeter studia specifica huc spectantia (B. 34, 35, 38, 52, 53, 61, 62), saepius per transennam illum conceptum iterum iterumque illustrat.

Etiam super hoc thema plures direxit dissertationes (D. 1, 11, 41, 50, 57, 62, 73).

5. *Inseparabilitas contractum inter et sacramentum in matrimonio christiano*

Ambitus conceptus «matrimonii rati» seu sacramenti pendet a principio inseparabilitatis inter contractum matrimoniale et sacramentum in matrimonio duorum baptizatorum. Si enim tenetur doctrina iuxta quam ubi dantur simul et foedus matrimoniale validum et baptismus duorum coniugum ibi habetur necessario sacramentum, uti sancitur in can. 1055 § 2, tunc omnia matrimonia valida duorum baptizatorum sunt «rata» seu sacramenta. Si vero admittitur posse dari matrimonia valida duorum baptizatorum quae non sint eo ipso sacramenta, tunc non omnia matrimonia baptizatorum etsi consummata essent indissolubilia nec omnia caderent sub exclusiva competentia Ecclesiae, cum ratio competentiae Ecclesiae sit sacramentalitas matrimonii christiani.

In hac quaestione, quae adeo post Concilium agitata est, P. Navarrete, plene conscius de difficultatibus practicis pastoralibus mundi saecularizati hodierni, enixe adlaboravit ad hoc principium doctrinale illustrandum ac tuendum tum quatenus est fundamentum competentiae Ecclesiae in omnia matrimonia duorum baptizatorum (B. 56, 59, 69), tum quoad rationes theologicas quibus principium innititur (B. 35, 52, 69), tum quoad consecratoria practica in ordine ad exercitium iuris nubendi baptizatorum (B. 46, 74).

Hoc super argumento aliquas dissertationes ad lauream direxit (D. 52, 56, 67, 73), quarum una in *Analecta Gregoriana* edita est (D. 67).

6. *Consummatio matrimonii*

Influxus magisterii P. Navarrete in recognoscenda doctrina et disciplina de consummatione matrimo-

nii et de impedimento impotentiae fuit procul dubio valde notabilis.

Quoad consummationem P. Navarrete imprimis conatus est efferre mysteriosum nexum qui intercedit inter consummationem, quae, ultimis temporibus, uti elementum pure materiale et biologicum tractari solebat, et sacramentum, eo praesertim fine ut aliquo modo intelligatur cur consummatio matrimonii sacramenti effectus theologicos et iuridicos adeo graves producat (B. 35). Eadem intentione ductus conatus est superare conceptum illum incompletum consummationis de quo supra, exigens ut pro consummatione habeantur praeter elementa anatomica et physiologica, etiam et elementa psychologica, quae ipse primus indigitavit in elementis quae requiruntur et sufficiunt ut *actus sit humanus*. Quae doctrina sancitur in litteris circularibus Congregationis pro Sacramentis diei 20 diciembris 1986, uti interpretatio practica locutionis «humano modo» canonis 1061 (B. 36).

Quoad elementa physiologica copulae, P. Navarrete inde ab initio sui magisterii in difficili quaestione an eiectio seminis in testiculis elaborati sit elementum essenziale copulae consummativae matrimonii, tenaciter tenuit eiectationem seminis testicularis non esse quid essenziale copulae, ideoque viros qui canales deferentes irreparabiliter oclusos habent non esse ob hanc causam *impotentes* coeundi, sensu canonico, sed *steriles*. Haec doctrina, quae contra se habebat constantem iurisprudentiam tribunalium ecclesiasticorum signanter Tribunalis Romanae Rotae, necnon plurimos Doctores, praesertim inde a brevi *Cum frequenter* Sixti V, tandem sancita est Decreto Congregationis pro Doctrina Fidei diei 13 maii 1877 (B. 60) atque implicite supponitur in notione «impotentiae coeundi» can. 1084 novi Codicis. Si quis confert

articulum P. Navarrete *De notione et effectibus consummationis matrimonii* (B. 36) cum actis Commissionis Codici I. C. recognoscendo editis in *Communicationes* (6 [1974] 177-198), facile animadvertet studium P. Navarrete constituere veluti cardinem discussionis in coetu laboris, etsi tunc temporis P. Navarrete nondum esset Commissionis Consultor.

Quod attinet vero ad impotentiam mulieris, contra tendentiam iterum recentius manifestatam plus exigendi quam capacitatem recipiendi membrum virile in organum copulatorium, P. Navarrete firmiter restitit, doctrinam communem semel et iterum affirmans (B. 48,49), quae quidem post memoratum decretum Congregationis pro Doctrina Fidei diei 13 maii 1977 indiscussam firmitatem obtinuit.

Circa haec argumenta plures dissertationes ad lauream direxit (D. 13,32,40,44,46,48), quarum nullae in *Analecta Gregoriana* editae sunt (D. 40,46).

7. *Matrimonia mixta*

Iohannes XXIII iam in ipso nuntio futuri Concilii proponebat unionem christianorum fovendam uti unum ex finibus a Concilio promovendis. At legislatio tunc vigens circa matrimonia mixta videbatur constituere obstaculum oecumenismo fovendo. Immo in ephemeridibus et aliis mediis communicationis quaestio de matrimoniis mixtis exhibebatur uti tessera ad sinceritatem Ecclesiae in motus oecumenici promotionem demonstrandam. Ex alia parte cum Concilium ob penuriam temporis rem de matrimoniis mixtis non tractaverit, tota quaestio devoluta est Romano Pontifici, qui non nisi gressibus successivis novam disciplinam de matrimoniis mixtis in Codice nunc collectam, instauravit. Res etiam in prima Synodo Episcoporum

discussa est et suffragationi subiecta, quoad puncta quae peculiarem implicant difficultatem. P. Navarrete, sollerti attentione totam quaestionis evolutionem secutus, ampla comentaria theologico-canonica singulis documentis dedicavit, in quibus saepius tum insufficientem esse gressum factum aperte significabat tum solutiones possibiles pro futura recognitione innuebat (B. 16,19,20,22,23,24,30,37). Recentius iterum ad idem argumentum rediit ad efferendum exemplum collegialitatis datum a Paulo VI, qui voluit ut in recognitione disciplinae de matrimoniis mixtis collegialitas in actum deduceretur (B. 71).

Insuper fuit Director dissertationis de matrimoniis mixtis cum relatione ad Germaniam (D. 54).

8. *Amor coniugalis*

Const. *Gaudium in spes* Concilii Vat. II quam maxime effert momentum amoris coniugalis in capite *De dignitate matrimonii et familiae fovenda* (nn. 47-52). Constitutio vero cum sit pastoralis atque omnibus hominibus dirigatur, ut plurimum non loquitur terminis stricte technicis. Immo positive quaestiones technicas evitat.

Iam inter Concilium sed praesertim annis immediate subsequentibus in non paucis scriptis doctrina Concilii de matrimonio, quod attinet praesertim eius structuram iuridicam, modo aequilibrato non exhibebatur, eo quod aliqua elementa plus aequo extollebantur, alia vero plus aequo deprimebantur. P. Navarrete anno 1968 primus aggressus est studium completum et in fontibus fundatum circa structuram iuridicam matrimonii prout in *Const. Gaudium et spes* proponitur. Iam vero cum amor coniugalis peculiarem novitatem in textu conciliari prae se ferret ac peculia-

riter esset discussus, ad illum peculiaris attentio erat praestanda. Studium editum est in quattuor articulis successivis in *Periodica*, sub titulo *Structura iuridica matrimonii secundum Concilium Vaticanum II. Momentum iuridicum amoris coniugalis*, qui articuli, postea in unum volumen collecti, pluries photographice reproducti sunt (B. 25, 26, 27), et adhuc hodie constituunt studium criticum fundamentale circa textum conciliarem de matrimonio. P. Navarrete, sive in hoc studio sive in aliis posterioribus huic argumento dedicatis vel saltem de illo obiter agentibus (B. 35, 37, 38, 39, 43, 44, 53, 55, 68, 69), tenet amorem coniugalem, qui quidem non potest identificari cum consensu matrimoniali, esse quid prorsus necessarium ut matrimonium suos altissimos fines obtineat, at est quid aiuridicum, quod non ingreditur in campum iuris nisi uti signum authenticitatis consensus. Haec thesis aliquo modo enuntiata est a Paulo VI in allocutione ad Praelatos rotales, a. 1976, asserens amorem coniugalem non assumi in provinciam iuris, etsi maximum momentum habeat in instituto matrimonii et familiae (A.A.S. 68 [1976] 204-208).

Nec potuit P. Navarrete non dirigere aliquam dissertationem de hoc argumento, sc. de amore et de consensu matrimoniali (D. 49).

9. *Communio vitae*

In *Const. Gaudium et spes* matrimonium describitur uti «intima communitas vitae et amoris coniugalis». Termini «communio», «coniunctio», «consuetudo», «consortium» et alii huiusmodi erant in usu in tota traditione theologica et canonistica, inspirata in definitionibus matrimonii quae in iure romano inveniuntur. At post Concilium conamen haud leve factum est ad significationem magis ditem etiam quoad

elementa essentialia his locutionibus tribuendam, haud absque gravibus haesitationibus et confusionibus. In ipsis Schematibus Codicis recognoscendi terminus «communio vitae» adhibebatur in primo canone de matrimonio (nunc can. 1055) ad designandam totalitatem elementorum quae matrimonium constituunt, in canone vero de exclusionibus (hodie can. 1101 § 2) ad indicandum unum tantum elementum essenziale consensus, quod locutione «ius ad communionem vitae» vel postea «ius ad ea quae essentialia sunt in communione vitae» indicabatur. In hoc contextu P. Navarrete constanter institit in necessitate claritatis in hoc argumento adeo gravi tractando. Imprimis definiendum erat utrum hoc «ius ad communionem vitae» esset aliquid specificum, diversum et contradistinctum a summa iurium, quae in traditione canonica uti essentialia iam individuata erant atque in formulis pregnantibus «consuetudo vitae», «consortio omnis vitae» etc. comprehensa retinebantur. Si affirmative respondebatur ad hanc quaestionem prae-viam, quaestio altera eaque gravissima erat aggredienda scilicet quid novi continet hoc novum «ius ad vitae communionem», non comprehensum in illis formulis iam traditione consecratis. Denique si hoc ius demonstraretur, quaerenda erat solutio technica ad proponenda haec iura quae adeo diversa sunt, etsi uno eodemque termino designentur. Sic stantibus rebus, probabiliter influxui P. Navarrete debetur substitutio ex officio facta in can. 1101, § 2, ubi iam non dicitur «aut ius ad ea quae essentialia sunt in communione vitae», sed generalior locutio adhibetur: «aut aliquod matrimonii elementum essenziale» (B. 38, 55; cfr. etiam 39, 47, 54, 63, 68, 69, 70, 72).

In relatione cum praesenti argumento Director fuit dissertationis de «mutuo adiutorio» (D. 59).

10. *De peculiaribus nullitatis capitibus*

Prostant praeterea plura P. Navarrete scripta quae diversa capita nullitatis matrimonii illustrant sive quoad eorum naturam iuridicam, utrum nimirum sint iuris divini an humani, sive quoad ambitum eorum efficaciae invalidantis, sive quoad eorum autonomiam vel interdependentiam in ordine ad processum nullitatis, sive quoad ordinem systematicum.

Huc spectant praeprimis studia iam memorata de autonomia capitum nullitatis ex defectu consensus ob perturbationem aliquam personalitatis (B. 50), de autonomia capitis nullitatis ob incapacitatem assumendi onera (B. 41) atque illa plura quae de impedimento impotentiae coeundi uno vel alio modo tractant (B. 36, 43, 48, 49, 69, 72).

Accedunt studia de errore doloso (B. 47, 70, 72) et de metu (B. 42, 74). Quod attinet ad dolum, P. Navarrete tenaciter defendit dolum qua talem, attento solo iure naturali, numquam addere errori circa qualitatem vim invalidandi foedus coniugale. Attenta autem natura huius foederis, quo instauratur «intima communitas vitae et amoris», possunt dari errores circa alterius partis qualitates, sive spontanei fuerint sive dolosi, qui ex solo iure naturali reddant nullum matrimonium eo quod tales qualitates sint prorsus incompatibiles cum illa intima communione vitae et amoris, quae propria est matrimonio.

Quod spectat vero nullitatum ex capite metus, P. Navarrete, post accuratum et criticum studium evolutionis historicae, qua semper maius momentum tributum est elemento subiectivo metus patientis, concludit clausulam «ab extrinseco incussus» can. 1087 § 1 (Cod. 1917) vix quidquam operari ideoque posse opportune omitti in Codice recognoscendo, quo fiet

ut unica nota qualificans metum invalidantem sit eius gravitas, prout in praxi iurisprudentia rotalis hodierna citatum canonem interpretatur et applicat (B. 42). Circa originem et ambitum efficaciae invalidantis, qua metus pollet, recentius P. Navarrete quaestionem accuratissime circumscripsit in brevibus annotationibus quas scripsit ad Responsum Pont. Comm. C.I.C. authentice interpretando, quo affirmatur vitium consensus de quo in can. 1103 (ex capite metus) posse applicari etiam ad matrimonia acatholicorum (B. 74).

Ad rem etiam pertinet recens studium circa impedimenta dirimentia quae peculiarem relationem dicunt ad dignitatem personae humanae (aetas, raptus, crimen), in quo, praeter commentarium ad singula ex his impedimentis, conamen fit in synthesim scientificam redigendi influxum quo leges positivae sive inhabilitantes sive irritantes exercent in nullitatem matrimonii (B. 76).

Denique ad provinciam nullitatem reduci potest articulus circa bona matrimonii, siquidem cum hoc argumento arcte connectuntur nullitates, quae ex exclusione cuiuslibet elementi aut proprietatis essentialis matrimonii oriuntur (B. 68).

In campo nullitatum matrimonii conflictus dari possunt inter persuasionem subiectivam et realitatem obiectivam circa validitatem vel invaliditatem proprii matrimonii. Quaestio quidem gravissima est quaeque diversas solutiones etiam sub respectu legislativo invenire potest. P. Navarrete hac in quaestione, claritate qua solet, conatur imprimis individuare casus in quibus talis conflictus fundamentum obiectivum reapse habere potest, dein posibles vias solutionis indicat, quarum aliquae in novo Codice sancitae sunt (B. 58).

In fine placet attentionem convertere ad disserta-

tiones, quas, in hac materia direxit P. Navarrete. Numerantur undecim, et omnes respiciunt aliquod consensus vitium, nempe *errorem* (D. 10, 19, 50, 64), *errorem dolosum* (D. 69, 70), vel *metum* (D. 24, 49, 58); aut *exclusionem* alicuius elementi essentialis obiecti consensus matrimonialis (D. 65) aut etiam *conflictum* inter forum internum et externum (D. 16). Haec ultima dissertatio in *Analecta Gregoriana* publici iuris facta est.

11. *In Curia Romana Consultor, aliaeque eius extra Facultatem activitates*

a. Attentis scientia et experientia, quas P. Navarrete in suo magisterio et scriptis demonstrabat, ut ex supra dictis constat, mirum non est ut diversi Curiae Romanae organismi eum uti Consultorem sibi arcesserint, inter quos indicare iuvat «Congregationem pro Doctrina Fidei», «Congregationem pro Cultu Divino et pro Disciplina Sacramentorum», «Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae» (ubi primo Referendarii, dein Votantis munere functus est) et «Consilium ad Unitatem Christianorum fovendam».

Singularis mentio facienda est de «Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo», quae ratione habita, ut videtur, de scriptorum P. Navarrete praestantia, necnon utilitatis quam ex eorum usu Coetus de matrimonio capiebat (sicut supra innuimus), eum a. 1976 Consultorem nominavit; exinde eius influxui in codificationem ianua magis patuit. Placet aliquod specimen huius influxus indicare. Anno 1974 ephemerides «Il Regno» edidit textum integrum Schematis iuris recogniti de matrimonio. Tunc P. Navarrete in textum publicatum observationes scripsit (B. 47), quarum duae nostra intersunt. En prima: «Categoria

“impedimenti prohibentis” eliminetur prorsus a Codice» (p. 629, e); et in altera suggerit ut «novum caput contineat disciplinam de matrimoniis mixtis. Hoc esset magis consonum cum materia de qua agitur, magis clarum et logicum ac minus odiosum fratribus separatis. Patet tunc omitti debere terminum “impedimentum” ...» (p. 628, d). Ac de facto utrumque suggerimentum Codicem novum ingressum est.

Commissio Codici recognoscendo, cum transformata fuit in Pontificium Consilium interpretationis, retinuit inter consultores P. Navarrete, ut, qua peritia adjuvarat in Codice recognoscendo, eadem et ad illum ceterosque textus legislativos interpretandos collaboraret.

Absoluto Codice Latino, Pater accitus est a Commissione pro Codice Orientali, ut in ultima revisione opinionem suam aperiret praesertim quoad canones de sacramentis.

Post Curiam Romanam liceat nobis verbum addere de Curia Societatis Iesu, quae opera huius sodalis qualificati usa est ad problemata iuris peculiaris nostri solvenda, cuius rei habetur vestigium in quodam articulo de paupertate publici iuris facto (B. 51).

Hoc est typicum Consultoris Curiae Romanae — audi etiam «Curiae S.I.» —, quod eius «vota», seu responsa scripto data, rarissime uti talia edantur et satis exceptionaliter uti dissertationes a se stantes publicentur; sed asservantur simpliciter in archivorum Curiae obscuritate, ab hominibus ignorata, attamen bene cognita ab Illo «qui videt in abscondito». In his archivis iacet alia series scriptorum P. Navarrete. Ut de eorum valore iuridico iudicemus, sufficit virum cognoscere; quoad numerum attinet, videtur esse conspicuus, prout ex circumstantiis confratres eius rimare potuimus.

